

Psalms charat. Longob. 1180. a tempo di Pietro Diacono. Ut vero Petrus hic Cassinensis ipse testetur Chron. Cass. L. IV. c. 68. scripsisse se Scholia in Vetus Testamentum, vivendo tamen annum supra dictum vix adtigit, Scripturaeque Langobardicae nitor major videtur, quam ut Seculo XII. tam prope finem spectanti adtribui possit. Neque vero inde magis Autorem horum Scholiorum indicare valeo, nisi is Petrus sit, consultis in cassum paene omnibus, quae in Psalterium literis consignata ad nos pervenere. Ut Lectori arbitrando locus sit, in Psalmum XIV. cujus Argumentum miniatum ita habet: Vox prophetae agentis per similitudinem. Quem admodum dux alicujus imperatoris videns exercitum domini sui congregatum interrogat dominum quis esset in militia ut tandem esset in aula. Eodem modo propheta videns multos convenire ad sacramenta ecclesiae interrogat dominum, quis esset hic in militia ut tandem requiescat in celesti aula et propter hoc interrogat quia vult solvere. Psalmus ipse: Domine quis habitabit hic in tabernaculo tuo. i. in militia tua. i. in ecclesia tua. quis requiescet in monte sancto tuo. i. in christo? modo solum subaudis ille. Qui ingreditur sine macula. i. criminali peccato. et qui operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem non solummodo in ore. sed etiam in corde. qui non egit dolum in lingua sua ad proximum. Non fecit proximo suo malum. et obprobrium non accepit adversus proximum

suum. Sed potius. Ad nichilum deductus est in conspectu ejus malignus. i. detractor. uel diabolus. timentes autem dominum glorificat. i. magnificat. Qui jurat proximo suo et non decipit. quia licet jurare in humanis actibus, sed non pejerare. qui pecuniam suam non dedit ad usuram. et munera super innocentem non accipit. ut nocentem faciat superiorem innocente. Qui facit haec non commovebitur in aeternum. i. ille erit hic in militia. et tandem in palatio. Ita Beda in hunc Psalm. Qui digne militabit in hoc tabernaculo, aeternaliter gaudebit in coelesti palatio, et Remigius Antissiod. Ille habitabit in tabernaculo, et post requiescet in palatio. Hos ergo Scriptores Sec. VIII. et IX. prae se habuisse videtur Scholiafies noster, cujus initium, ut dixi, situ evanuit, finis vero est: omnis spiritualitas sit vobis materia laudandi dominum. i. consideratione omnium spiritualium uirorum laudate dominum.

CXLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. E. 2. Folior. 264. 4. manu difficili, multisque literarum compendiis perscriptus, rubricis tamen enotatus, et olim oblatus Principi Eugenio de Sabaudia a Leibnitio continet Commentaria succincta in Psalterium, et reliqua Cantica Biblica cum Hymno Ambrosiano, Symboloque dicto Athanasii excerpta potissimum ex utraque Glossa et Nic. Lirani Postillis. Primis tamen 2. Foliis adscripta est Fabula

bula de sapiente Episcopo regiones perambulante et ad *Adrianum* Imp. misso, ad cuius varia potissimum de Mundi creatione quaesita respondit. Ultimum *Adriani* quaesitum de *Antichristo* est. *Commentaria* porro incipiunt: *Circa initium psalmodum est monstrandum quod titulus huius libri sit talis. Incipit liber ymptorum uel soliloquiorum dauid prophete de christo. liber dicit et non libri contra istos qui dicebant plures esse libros &c.* Ad calcem: *Explicit Anno Domini MCCCCXXIX.*

CXLIV.

U. 129 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 112. f. nitide, sed minutius exaratus inscribitur: *Pulcherrima Postilla super primum Nocturnum cum bona tabula in fine.* et plenius ad calcem Operis: *Explicit lectura Magistri thome anglici super primum nocturnum psalterij.* Primum Nocturnum priores XXV. *Psalms* intellige. Totum igitur *Psalterium* in VI. *Nocturnos* dividebatur, qui usus ad v. *Nocturnus* in *Ducangii Glossario* non adnotatur. *Prohemium* Operis nobis ita inchoat: *Beatus qui custodit verba prophetie libri huius. Apoc. 22. Crisostomus super Math. in prefacione dicit sic. Quemadmodum non prodest cibus &c.* Expositio ipsa: *Beatus vir &c. Psalmista in principio sui libri pulcherrime et rationabiliter ponit ante omnia beatitudinem &c.* Definit Opus: *Igitur sit nomen domini benedictum ex hoc nunc et usque in seculum.*

Haberes itaque *Commentarium super Psalms F. Thomae Jorgii* (Jorsii, Jorzii, five Joyce) *Anglici Ord. Præd. S. R. E. Card. et Ep. Sabin.* cura F. *Sixti Lambertii Lucens. O. P. Romae* recognitum, et impressum *Venetis* anno 1611. f. cui Editioni *Codex* noster consonat, nisi plures per Bibliothecas dispersi *Codices* autorem praefigerent F. *Thomam Guallensem*, seu *Walleis*, itidem *Anglicum*, itidem *Dominicanum*, et aetate *Forzio*, qui a. 1310. obiit, non multo posteriorem. Inde dubium, quod nec ipsi Ordinis *Bibliothecarii* solvere potuere, ut vides T. I. p. 509. et 598. Nos ultra priores XXV. *Psalms* nihil habemus. Editio *Venetæ Nocturnum* II. addit, sed non integrum; definit enim cum *Psalmo* 37. An etiam Autor hic stiterit, incertum. Interim hoc quoque confusionem induxit, dum Bibliographi alii *Thomam* in XXV. alii in XXVII. alii in XXXVII. *Psalms* commentatum fuisse adferunt, ut liquebit conferenti *Caveum* Vol. II. p. 11. et 32. *Oudinum* T. III. p. 683. et 906. *Lelongium* T. I. p. 988. *Tannerum Bibl. Brit. Hib.* p. 749. quorum etiam aliae mendae ex hic dictis corrigi possunt. *Codex* noster cum notulis marginum, tum amplo *Indice* diligenter instructus est.

CXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 191 Folior. 343. 4. currente calamo a diversis conscriptus, et, ut fons prae-